

Ad

NVMMVM AVREVM LVBECENSEM,
IV Magnif. et Illustr. COSS. Lubec.

Dominorum

WESTCKEN, GERCKEN,
WICKEDE, RODDE,

venerandis faciebus insignem,
commentatur

et

SOTERIA MV SARVM LVBECENSIVM,
quae ex eodem nummo



PACEM AC FORTVNAM
toti Reipublicae
solemni ritu vouebunt,

ad d. IV Ian. A. MDCCXXIV indicit


IOANNES HENRICVS a SEELEN

Gymn. Lubec. Rect.

LVBECAE. OPERIS GREENIANIS.

IV Magni et Illustri. Goss. Lubec.

WESTPHALIA GERCKEN
WICKEDR. RODE.




ABCEGENIUM

Consulibus pietate nulli Romanorum secunda pietate
& vera illa quibus ac non inuicem
primam Christianam libertatem. Hoc
in pace non permittit. Quoniam tamen
in est, ratione tandem (nempe cum laudant
e a distansio quidem (nempe cum laudant
a professor) quum hoc
quis ex quo Mula
demum exhibebat
quae in magister
rit facit, demand
autem est pietas



Pol. 8. II 1475 / up

IOHANNES HENRICVS 1 SEELEN



§. I.



Elebrata antiquis monumentis est ANTONIORVM, METELLORVM, ac aliorum Consulum Romanorum pietas. Patet hoc, vt reliqua documenta praeteream, ex nummis, quibus piorum Consulum memoria ad seram vsque posteritatem propagata.

Inter nummos Antonianos, a Car. Patino, magno elegantissimae disciplinae nummariae statore, docto commentario illustratos, duo sunt, in quibus legitur: PIETAS COS (I). In Metellianis (2) duo itidem reperiuntur, his insigniti verbis: Q. METEL. PIVS. Quibus & aliis Consulibus piis Roma superbiat. Nos Lubecae Consules multo maiori pietate conspicuos possumus gratulari. Gauisa enim ea est, et hodie gaudet, Consulibus pietate nulli Romanorum secundis; pietate, inquam, & vera illa quidem, ac non infucata, & vt vno verbo exprimam, Christiana, illustribus. Hos omnes recensere, instituti ratio non permittit. Quatuor tamen vt non tam ea, qua par est, ratione laudem (meam enim laudem superare, qui ne a disertissimo quidem oratore satis possunt praedicari, lubens profiteor), quam honoris potius causa nōminem, facit Nummus, ex quo Musae nostrae hoc solemni tempore Soteria ritu solemni exhibebunt. Aureus ille est, & aureae simul pietatis, quae in magnificis Consulibus, quorum venerabiles praesentat facies, demiranda, index valde luculentus. Declarata autem est pietas voto maxime pio; & more quidem magis Christiano, quam ritu a priscis, quorum nummi v otium non sunt ignoti (3), accepto. Vnde hunc nummum rectius dico *salutarem*, quam illum, qui olim splendido hoc encomio a gente Carisia (4) fuit insignitus.

§. II.

Consulum, quorum venerandae facies ornant nummum nostrum, primus est Vir magnificus, illustris ac consultissimus

1) Famil. Roman. ex antiq. Numismat. pag. 20. (2) L. c. pag. 50. (3) Vid. Iobertus in Notit. Rei Nummar. Praecept. VI. p. m. 126 sq. (4) Patin. l. c. pag. 61.

mus DN. IOANNES WESTCKEN, Consul de nostra Republica longe meritisimus, cuius memoria non fuit cum morte simul exstincta. Suscepit eum alma Ciuitas nostra, patre *Henrico Westcken*, Ciue primario & negotiatore spectatissimo, matre *Catharina Schilders*, Matriona ornatissima, an. 1639. d. 22 Sept. prognatum. In Schola deinceps ac Gymnasio patrio, Academiis Rostochienfi, Helmeftadienfi, Lipsiensi ac Ienensi, nec non itineribus per Belgium, Angliam & Galliam factis, ad res magni momenti agendas rite praeparatum, patria sibi asseruit, atque an. 1680. d. 12 Iun. honoribus Senatorius; an. autem 1703. m. Febr. Consularibus auxit. Et auspiciato quidem. Optime enim prospexit Reipublicae, quae eum Consullem primum ac dirigentem an. 1714. d. 31 Iul. non sine dolore amisit (5). Sequitur Vir magnificus, illustris ac consultissimus DN. SEBASTIANVS GERCKEN, Consul, quem ob immortalia in Rempublicam nostram merita Themis, ob maximam facundiam, litterarumque peritiam, Musa vetat mori. Debet tantum Virum Lubeca nostra inclytae ciuitati Magdeburgensi, quae eum, patre viro nobiliff. & ampliff. Dn. *Sebastiano Gercken*, Causarum Patrono celeberrimo, Ciuiumque selectorum Oratore grauisimo, ac matre *Maria Holdefreundes*, Matriona sexus sequioris ornamentis annumeranda, an. 1656. d. 16 Iun. in lucem editum, filiis, quos sibi ducit honori, accenset. Iuuenis condecorauit Athenaeum patrium, & deinceps Quedlinburgense, in vtroque artibus humanioribus probe perpolitus. Pari felicitate legum studium in Academia Ienensi tractauit. Neque exiguum fuit commodum, quod ex peregrinationibus, quibus iustrauit Belgium, Angliam, Galliamque, percepit. Gryphisvaldia deinceps, Dissertatione Inaugurali de Quota Detractionis, Alexandro Carocio praefide, magno cum applausu defensa, summos in vtroque iure honores ipsi an. 1687 concessit. Hinc venit Lubecam, cuius Conscripti Patres an. 1695. d. 20 Febr. in ordinem Senatorium eum cooptarunt; an. autem 1706. d. 20 Febr. Consullem elegerunt.

Vtrum-

(5) Conf. B. Suantenii Progr. Funebr. Adde, si placet, quae scripsi Athen. Lubecens. P. I. p. 216 sqq.

Vtrumque munus , & splendore & grauitate conspicuum , immortalis cum laude adminiftrauit , & tum in aliis rebus , tum in obeundis legationibus , falutis noſtrae Reipublicae fuit ſtudioſiſſimus. Vnde mors , quae Eum , ſplendidisſimam pariter ac grauiſſimam Conſulis dirigentis ſpartam ornantem , an. 1710. d. 8 Febr. abſtulit , merito pro vulnere Reipublicae habebatur (6). Tertium in nummo noſtro locum occupat Vir magnificus , generoſus atque illuſtris DN. THOMAS a WICKEDE , Conſul ea laude eminens , vt rectiſſime *de omnibus bene , de nullo male , de Republ. optime meritus* (7) praedicetur. Ornamentum fuit generoſae , quae hodieque floret , familiae Wickedianae , quae per aliquot ſaecula Lubecenſibus dedit patriae Patres , magna meritorum gloria illuſtres. Luce enim an. 1646. d. 22 Ang. in hac Vrbe donatus , patrem agnouit Virum generoſ. Dn. *Thomam a Wickede* , ac matrem *Elisabetham Plonnius* , Matronam & generoſa ſtirpe & optimis virtutibus nobiliſſimam. Ad magna vero natus , viam , qua itur ad ſapientiam. (ſine qua res arduae minus proſpere peraguntur) , Mercuriali ſtatua in noſtra bonarum mentium officina publica fideliter ipſi oſtenſa , Roſtochii , Heidelbergae & Baſileae fauſto pede non ingreſſus ſolum eſt , ſed ex voto etiam abſoluit. Eadem vtilitate per aliquod tempus , quae Vindobonae in aula auguſtiſſimi Caefaris geſta , obſeruauit. Rerum itaque adminiſtrandarum prudentia abunde inſtructus , an. 1692 duodecimus e gente ſua Senator , & an. 1708 quintus ex eadem Conſul fuit creatus , perque 24 annos , ad mortem vsque , qua an. 1716. d. 18 Decembr. pie eſt defunctus , commodis Reipublicae inuigilauit ita , vt pietate , iuſtitia , candore nulli ceſſerit. Sicuti vero laudatis tribus Conſulibus Reſpublica noſtra dudum eſt orbata , ita quartum , hodieque (faxit Numen , diutiſſime !) ſuperſtitem , ei vehementer gratulor , Virum ſcilicet magnificum , illuſtrem ac conſultisſimum DN. ADOLPHVM MATTHAEVM RODDE , Conſulem primarium , diri-

(6) Leg. laudati anteceſſoris mei , Suantenii , quem , praeter alios , praeconeſſa poſt fata naſtus eſt , Progr. Funebr.

(7) Ita in Epitaphio Wickediano , quod exhibui l. c. p. 221.

gentem, maximis meritis, quae nulla vnquam delebit obli-
 vio, exsplendescentem, Patrem patriae longe exoptatissimum,
 virtutumque paternarum (patrem enim veneratus est Virum ma-
 gnificum & illustrem Dn. *Matthaeum Rodde*, primum itidem
 Reipublicae nostrae Consulem, excellentissimis meritis incly-
 tissimum, ac matrem *Catharinam Schumacheriam*, Matronam no-
 bilissimam laudatissimamque) exemplar consummatissimum.
 Quantum summus hic Vir olim fuerit Musarum nostrarum Ca-
 tharinianarum decus: quantum Academiarum Lipsiensis, Lug-
 duno-Batavae ac Kiloniensis (in qua inauguralem de Repressa-
 liis Disputationem, applaudente auditorum corona, habuit)
 ornamentum: quanta prudentia Belgium, Angliam, Galliam,
 Italiam, Germaniam lustrarit, summa Eius modestia prolixè
 edisserere non permittit. Eadem vetat (imo vetat etiam ipsa rei
 magnitudo) debito modo enarrare, quanta cum laude ab an.
 1682 Secretarii, ab an. 1695 Protonotarii, ab an. 1701 Sena-
 toris, & ab an. 1708 Consulis munia administraverit, hodieque
 administret ita, vt praestantissimorum meritorum Roddianorum,
 per solemnes legationes, per alios labores pro salute patriae indefes-
 so studio exantlatos, acqvisitorum, memoria nunquam penitus
 exstinguatur.

S. III.

Hi laudatissimi Consules, pietatem erga Lubecam osten-
 suri, inscribendum curarunt nummo, civitatem nostram elegan-
 ter repraesentanti, praeter nomen יהוה, a quo vno, ceu solè,
 radii pacis ac fortunae emittuntur, inque vrbes sparguntur, per-
 eximum votum: ES MÛSSE FRIEDE SEYN INWENDIG IN
 DEINEN MA VREN VND GLÛCK IN DEINEN PALLÄSTEN.
 Fudit illud ante eos pietate maxima illustrissimus DAVID (8), lae-
 titia ob Hierosolymam, sedem arcae foederis factam, & ad summum
 felicitatis fastigium perductam, exultans, qui lingua sanctissima
 expresfit: יהוה-שלום בחילך שלום בארמנותיך LXX In-
 terpretes reddiderunt: Γενέσθω εἰρήνη ἐν τῇ δυνάμει σου, καὶ εὐ-
 φροσύνη ἐν ταῖς πυργοβάσει σου; Sebastianus Schmidius: Sit
 pax

*pax in antemurali tuo; quies in palatiis tuis; Tremellius & Iunius: Sit pax in praemunitione tua, tranquillitas in palatiis tuis; Vulgatus: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis; Caspar Amman in rarissima Pfallterii versione: Der frid sey in deinem Zwinger, glükfähigkeit in deinen palästen; Io. Piscator: Es müsse fride sey in deinem Zwinger, und wolfabrt in deinen pallästen; Belgae: Vrede zy in uwe vestinge, welvaren in uwe paleysen. Quorum, & plurium, interpretationes licet vna alterave voce differant, in eo tamen, quod caput rei est, conueniunt, omnesque docent, voto Dauidico summam comprehendi prosperitatem. Quaeritur autem, vtrum temporalis, an vero spiritualis felicitas hic optetur? De hac exponunt Io. Bugenhagius, Reiner, Snoyus (9), & alii. De illa, praeter ceteros, Io. Cocceius, sic *παραφράζων*: Cesset foris bellum, intus miseria, ruptura, calamitas, fames, mortalitas, dissidium. Si quid mihi cernere datum, de vtraque commode explicari posse arbitror. In iis enim, quae votum hoc antecedunt, gaudet regius vates tam de cultu sacro publico, quam de regimine politico, Hierosolymae felicissime instaurato. Quare haud dubie et illum, & hoc, & quae cum vtroque, rite sese habente, non possunt non esse coniuncta bona, vovens respexit.*

§. IV.

Quemadmodum vero Dauid, Princeps vrbs Hierosolymae, illis, quos gubernauit, laudatissimo exemplo, in quod tota Israëliitarum concio intueretur, praeiuit (10), ita summi quoque viri, qui principatum in nostra ciuitate obtinuere, pereximio & imitacione dignissimo exemplo aliis praeluxerunt. Sequi gestiunt, impari licet gradu, pari tamen pietate, Musae nostrae, ad exemplum perfectissimum lubentes sese compositurae. Religioso enim officio, quod hoc tempore boni omnes praestant, eo

(9) In rariori Snoyi Pfallterio p. 460 haec reperitur explicatio: Fiat ergo pax coelestis in virtute tua, vt astringamur omnes vinculo charitatis, & abundantia bonorum spiritualium sit in turribus tuis, maioribus & excelsis, qui supereminent, vt instruant alios verbo & exemplo.

(10) Henr. Mollerus Enarrat. Psal. P. III. p. 728: Dauid, tanquam Rex & ἄρχος, ipse primus in vota erumpit, & ceteris quasi formam precationis praescribit.

eo minus deesse voluerunt, quo magis ad pietatis instrumenta adornanda, ad vota pro patriae salute, ex qua ip[s]arum salus pendet, pro incolumitate Patrum patriae, quorum praesidio fruuntur ac patrocinio, fautorum, doctorum, aliorum, a quibus vel liberaliter fouentur, vel fideliter instituuntur, vel aliis beneficiis ornantur, se profitentur obstrictas. Mentis earum interpres erit iuuenis haud vulgari probitatis, modestiae, sedulitatis laude afficiendus,

CHRISTIANVS AVGVSTVS BOETIVS,

Lenfana - Euthinensis,

Viri admodum reuer. ac praeclariss. DN. IACOBI BOETII, Pastoris olim Lenfanensis, hodie Neo - Monasteriensis, optime meriti, bonae spei filius, domesticus meus amantissimus, qui cras solemni Oratione

Soteria Musarum Lubecensium

exhibebit, i. e. *Pacem ac Fortunam* toti illustri Reipublicae Lubecensi, communi Musarum nomine, sincere optabit. Cui voto votum addere, mearum utique partium esse duco. Vestra autem, MAGNIFICI DNN. CONSVLES, Patriae patres optimi, perillustres DN. PRAEPOSITE, generosiss. DN. DECANE, summe reu. atque excellentiss. DN. SVPERINTENDENS, nobiliss. consultiss. & experientiss. DNN. SYNDICE ac DOCTORES, admodum reuer. & praeclariss. DNN. SENIOR, PASTORES & SYMMYSTAE, nobiliss. generos. prudentiss. & ampliss. DNN. SENATORES, PROTONOTARIE ac SECRETARII, vt & reliqui nostrae Ciuitati optime cupientes, ad hanc panegyrici opus est praesentia, quam precibus decenter impetrare fludeo. Fauete igitur laudato iuueni, oratoris munere pro viribus defuncturo: fauete inuitanti, & ab utroque dicendorum hanc habete summam: GAVDEAT LVBECA SEMPER EXOPTATISSIMA PACE, ABVNDETQVE NVLLO NON TEMPORE SVMMA FELICITATE!

P. P. Lubecae d. III Ian. A. MDCCXXIV.

❖❖❖ (o) ❖❖❖

Pol. 8. II. 1469-1475

